



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-116599-p0001-9


DFG

*Ecc. 13. 4to*

CARMEN NV.  
PTIALE.

VENERANDO VIRO,  
ERUDITIONE, AC VIR-  
TUTE PRAESTANTI, DOMINO IOAN-  
ni Eliæ Lemgouensi, Præposito Mariemonta-  
no, propè Helmstadium, Sponso: ac pudicissimæ  
virgini Annæ, Hermanni Tespel, quondam  
in Ericilebo Præfecti, relictæ filiæ,  
Sponsæ eiusdem, Scriptum

A  
DANIELE HERMANNO.  
Nidburgense, Bo-  
russio.



VVITEBERGÆ  
EXCVDEBAT IOHAN-  
nes Schuvertelius.  
Anno M.D. LXXII.

Gratia  
ad doc.  
Verbum V  
Mafors  
Riga m  
Notarini  
Itus con  
cū homin  
la Virgini  
opinio: vi  
pactu: h  
late D  
Cto 157



# CARMEN NV PTIALE.

DOCETE vir, & multis virtutum dotibus auctE  
sis licet haud ullo mihi consuetudinis usus  
Junctus, & hinc nostras miraris forte Camœnae  
Ad tua legitima venisse haec gaudia tædæ:  
Desine mirari tamen, atque hos fronte serena  
Excipio versus, quos non fucata voluntas,  
Sed sincerus amor Claria tibi misit ab umbra.  
Quid mihi vobiscum est? spreti omnes undig. vates.  
Fortè ait, ELIA? versus qui, ubi conspicis istos,  
Inquis, abi Aonidum vates studiose Sororum.  
Vix ait: est placide tua nota modestia mentis,  
Doctrinæ qui amoringenuæ, virtutis & ardor,  
Quam decorat grauibus solers prudentia verbis.  
Non vitium spretis, sed inest spernentibus istud,  
Nec vate in vero, sed iniquo in indice culpa est.  
Scribimus indocti docti qui, Poëmata passim,  
Et damus indoctis doctis qui, Poëmata passim.  
Inde fit, ut vatum nullo discrimine facto,  
Chærilus inculto pro carmine, pro male natis  
Versibus, accipiat dextræ sèpè ampla benignæ  
Præmia: diuini nullus respectus Homeri.  
Ac veluti multos tenet insanabile vates  
Scribendi passim cacoëthes, sic quoque sèpè  
Clarus & obscurus nullo discrimine habentur.  
Haec illa est ratio, spretæ haec quoque causa Camœnae.  
Nunc ista abrumpo, que quodam iure coactus  
Vestibulum ante ipsum, primoque in carminis huius  
Limine premisi, non causa impulsus iniqua,  
Sed magis ut nostræ constet sententia mentis

A 2 Non

Non ego me numero Aonidum, nec vatibus amplis  
Glorior acceptum, Musarum numina testor.

Vt faciam versus, causis impellor honestis.

Sæpè vel inuita extorquet mihi carmina vena  
Candor, ubi chari votis euincor amici.

At tuus, Elia, longum mihi frater ob usum  
Iam pridem dilectus erat: vix charior alter

Hoc fuit, ut mensæ coniunctim asseditus unius,

Vsus eodemque est victu conuictor uterque.

Iamque semel totum Sol est emensus Olympum,

Et bis sena suis peragranit signa quadrigis,

Dulcis amicicia ex quo nos coniunxerat unus.

Ergo ubi Sponse tuae visurus gaudia tæde  
Leucoreis paulum peregrè migraret ab oris,  
Huic comitem volui nostram coniungere Musam,  
Quæ socia & lateri foret, & tibi nostra referret  
Carmina, votorum ceu nuncia lata meorum.

Quod faustum, felixque igitur sit, & utile multis,  
Quos Mariæ mons, quos vicina includit & ora,  
Ingredere in thalamos, Elia Sponse, cupitos.

Quæque tori consors tibi facta est ANNA iugalis,  
Anna verecundi specimenque decusque pudoris,  
Dum datur, & licitum est, cupidis amplexibus illam  
Arripe: Grata Deo est sociæ hæc coniunctio vitae.

Inuidet hanc sortem nemo tibi: quilibet optat  
Coniugio huic initio felicis sidera fati:

Et meritò. Nota est tua nam probitasque fidesque,  
Explorata diu in multisque industria rebus.

Ipse tuus patruus dum quondam vita manebat,  
(RVTGERI ELIAE nomen tulit, & equior illo)  
Non erat in multis, nec erat prudentior illo)  
Seque suamque fidem perbis duo lustra probauit,

Bisque

Bis q̄ duos annos, vario in discrimine rerum,  
Præpositi officio funclus, populoq; Duci q;  
Illi charus erat, quem Saxona tunc tulit ora.

Ergo tui patrui vestigia prisca secutus,  
Munus idem recipis: Nec enim foret aptior alter  
Officio in tali versari, & munere tali.  
Illud at accedit, patruo felicior esse  
Quo potes: is si quidem steriles exegerat annos,  
Nulla auctus consorte tori, tædaq; iugalis  
Expers, nec natos, Veneris nec præmia nōrat:  
Tu verò egregiam forma præstante puellam,  
Virtute insignem, nec vili è sanguine natam  
(TE SPELIO sata nam patre dulces venit in auras,  
Qui virtute sua patrijs inclaruit oris,  
Quiq; Ericilebi Præfecti munus obiuit)  
Hoc, inquam, genitore satam, atq; hoc sanguine na-  
In cassis rapis ecce tuos: cupidisq; lacertis (tam,  
Amplexam, letus media inter gaudia ducis.

Fallor? an incipiunt celsis sub turribus æra  
Dum sonitu fremere, in tota discurritur urbe,  
Vndiq; & ad sacram certatim curritur ædem?  
Parua mora, & ritu expleto, sacrisq; peractis,  
Fallor? an & rursum rauco dum tympana pulsu,  
Insuetum pariunt fremitum, atria celsa resultant  
Plausibus, & replet varius conuiuia sermo.  
Illic docta cohors, clarorum & turba virorum  
Coniunctim residet: media inter pocula mensæ  
Questio de varijs oriturq; grauissima rebus.  
Hic verò ingentes pateras exhaustit, & ora  
Proluit imberbis cætus, victusq; Lyæo  
Attollit risum, vixq; expectare potestas  
Dum liceat sumpta choreas agitare puella.

A 3      Parte

Parte alia obliquis vix mussat pauca susurris  
Matronarum ordo, virtute insignis & annis.  
Ponè sedet vultu pariter cultuq; decoro,  
Virgineus chorus, & nitidis resplendet ocellis,  
Purpureusq; color nino permistus, honesta  
Eminet in facie, & toto diffunditur ore.

Hæc ita dum fiunt, mensa q; epulis q; remotis,  
Quisq; suo indulget genio, iuuenisq; senexq;  
Dumq; choros Sponsa exercet, teneræq; puellæ  
AEdibus in medijs pulsata ad tympana saltant,  
Vesper paulatim prono succedit Olympo,  
Et nox tellurem densis amplectitur umbris,  
Cinctus Hymen viridi (dictu mirabile) myrto  
Improuisus adest, flagrante instructus & igni,  
Tædam inter Sponsum Sponsam portabat & ipsam.  
Vox volat: Hymen adest, linguis animisq; fauete:  
Hymen adest, eia: vocem hanc sed suppressit Hymen,  
Ac medius graditur, flagrantem et ventilat ignem,  
Coniugio hoc gaudens, castumq; cubile recludens,  
Sponsum intrà thalamos chara cum coniuge ducit.  
Ipse fores vigil obseruat, mox claudit: & inde  
Tale facit carmen, foribusq; inscribit in ipsis:  
Corpore qui duplices, carne vna & mente ligantur,  
Felices viuant, & amoris præmia portent.

Quod superest Hymen peragat: mihi talia namq;  
Descriptisse sat est paucis pro tempore chartis.  
Te decet, Elia, nostris occurrere Musis,  
Non fronte in rugas contracta, at fronte serena  
Ac placido vultu, qualem decet esse, Deorum  
Nomine qui gaudent: Eliæ nomen Ebreis  
Namq; Deum, aut fortè Dominum sonat. Ergo beni-  
Accipito dextra hoc ignoti munus amici. (gna  
Quod

*Quod si sponse leues non aspernabere versus,  
Et stimulum & nostris addes calcaria Musis,  
Per quas sèpè solet mors immortalis haberi,  
Per quas fama mori nescit, sed viuida semper  
Permanet, & vasto inclarescit notior orbi.  
Fortè meis quondam viues quoq; sponse Camænis  
Ultima post fata, & gelidæ post funera mortis.*

*Viue tuaq; vale saluus cum coniuge coniunx,  
Cum fratre & saluo, Albiaca qui venit ab urbe,  
Hasq; tibi perfert inflexo poplite Musas,  
In proprio cuius diuinum nomine donum est:  
Quod rectè gerit, & quod conuenienter habebit,  
Dij modò dent vitam, & Parcæ modò parcere nòrint.  
Emicat ingenium teneris florentibus annis,  
Et pietatis amor, cautæq; industria mentis  
Non sinit ignavum securam degere vitam:  
Sed memorem officij summis conatibus ac ui  
Incepto in cursu studiorum pergere suadet.  
Et sic nomen inest pariter sic omen in uno,  
Cui Graium nomen Theodoro fata dederunt.  
Plura vetat tempus: valeas dulcissime sponse,  
Cum dulci nupta: cum charo deniq; fratre,  
Quem mihi fors saluum ducat, saluumq; reducat.*

F I N I S.





Cl 4160

ULB Halle  
003 485 978

3



Mc





xi.

# CARMEN NV. PTIALE.

VENERANDO VIRO,  
ERUDITIONE, AC VIR-  
TUTE PRAESTANTI, DOMINO IOAN-  
ni Eliæ Lemgouensi, Præposito Mariæmonta-  
no, propè Helmstadium, Sponso: ac pudicissimæ  
virgini Annæ, Hermanni Tessel, quondam  
in Ericilebo Præfecti, relictae filiæ,  
Sponsæ eiusdem, Scriptum

A  
DANIELE HERMANNO.  
Nidburgense, Bo-  
russio.



VVITEBE R GÆ  
EXCVDEBAT IOHAN-  
nes Schuvertelius.  
Anno M.D. LXXII.

• ad doc  
Visum 2  
Mafon  
Zigmar  
Notarini  
Itus leu  
cū homi  
la Virgini  
opinio: vi  
pugnali  
cale D.  
Cto 157